



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Oratio ad sanctam Trinitatem, 37

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



aperiatur mihi ostium & porta justitiæ, ut intrem in gaudium Domini mei. Hæc porta Domini; iusti ingredientur per eam.

## C A P V T XXXVII.

*Oratio ad sanctam Trinitatem.*

1. **O** Tres coæquales & coæternæ personæ, Deus unus & verus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; qui solus habitas æternitatem, & lucem inaccessibilem. Qui fundasti terram in potentia tua, & regis orbem terræ prudentia tua. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sebaoth. Terribilis & fortis, iustus & misericors, admirabilis, laudabilis, amabilis, Unus Deus, Tres personæ; una essentia, potentia, sapientia, bonitas, una & indivisa Trinitas. Aperi mihi clamanti portas justitiæ; & ingressus in eas, confitebor tibi Domine.

2. En ad ostium tuum, summe paterfamilias, mendicus pulso. Iube aperiri pulsanti, qui dixisti: Pulsate, & aperietur. Pulsant enim ad ostium tuum, Pater misericordissime, desideria rugientium præcordiorum meorum, & clamores lachrymarum oculorum meorum. Ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Et tu Domine non avertas faciem tuam amplius à me, nec declines in ira à servo tuo. Pater misericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, & porrige manum tuam optimam adjutricem; ut retrahat me de profundis aquarum & de lacu miseriæ, & de luto facis, ne peream vidente misericordia  
ocu-



oculorum tuorum, aspiciente clementia viscerum tuorum. sed evadam ad te Dominum Deum meum; ut videam divitias regni tui, & intuear faciem tuam semper, & laudem dicam nomini tuo sancto. Domine, qui facis mirabilia; qui cor meum latum facis memoria tui; qui illuminas juventutem meam: ne despicias senectutem meam, sed jubilate facias ossa mea, & reviviscere facias ut Aquilæ canos meos.

*Soliloquiorum finis.*

